DE POENITENTIAE ET ORDINIS SACRAMENTIS THEOLOGICO-DOGMATICAE...

Vincenzo Montini



DE POENITENTIAE ET ORDINIS SACRAMENTIS

THEOLOGICO-DOGMATICAE POSITIONES

QUAS

PATER FR. VINCENTIUS MONTINI A FORO-LIVII

MIN. REGUL. OBSERV. ALUMNUS

IN PRIMARIO SUAE ALMAE PROVINCIAE BONONIENSIS ATHENAEO

SACRAE FACULTATIS AUDITOR

PUBBLICE PROPUGNANDAS ASSUMEBAT

AUSPICE

INCLYTO DAVIDICAE STIRPIS GERMINE

VIRGINE DEIPARA IMMACULATA

ORDINIS SERAPHICI PATRONA SINGULARI

ANNO MDCCCXLVII MENSE MAJI

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

I.

Cum tanta sit humanaa naturae fragilitas ex Adae peccato contracta, ut pauci susceptam in Baptismate gratiam illibatam ad mortem usque custodiant; piissimus ac dives in misericordia Dominus cognoscens figmentum nostrum, nostrae saluti hac quoque in parte prospexit, instituens pro reconciliatione filiorum, qui misere post idem Baptisma labuntur, poenitentiae Sacramentum. Hoc itaque Sacramentum fragilitati nostrae tam necessarium a nefariis eorum ausibus, qui illud perfracto denegant aut iniquissime mutilant deturpant evertunt, totis viribus assumimus vindicandum.

II.

Quoniam vero duplex occurrit in poenitentiae nomine significatio virtutis scilicet et Sacramenti; nos omissa priori, sub posteriori tantum significatione poenitentiam spectamus eamque definimus -- Sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso ac satisfacere proponenti remittuntur peccata post Baptismum commissa --.

III.

Atque revera Poenitentiam in nova Lege fuisse ad

veri proprieque dicti Sacramenti rationem et dignitatem evectam, ex sacris Litteris luculenter evincimus. Nam Christus Apostolis eorumque legitimis in Sacerdotio successoribus amplissimam contulit facultatem dimittendi et retinendi peccata inquiens: — accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (Ioan 20) —. Quae sane verba de Poenitentiae Sacramento intelligenda esse atque ea omnia continere, quae ad verum Sacramentum constituendum requiruntur, nullo non tempore docuit Ecclesia, ac *universorum Patrum consensus semper intellexit*. (Conc. Trid. sess. 14. cap. 1.)

IV.

Lutherus circa hujusmodi catholicum dogma anceps inconstansque fuit: alicubi videtur inter Sacramenta Poenitentiam recensere; alicubi eandem ab illorum numero expungit. Hujus inconstantiae causa factum est, ut in oppositas sententias Lutheri gregales abierint.

V.

Calvinus autem cum suis asseclis Sacramentum istud penitus sustulit, contendens Poenitentiam non esse Sacramentum a Baptismo distinctum, et nos, quocumque baptizemur tempore, semel in omnem vitam ablui et purgari, ita ut si postea lapsi fuerimus, repetenda sit Baptismi memoria, et hac armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus sit atque securus.

VI.

At quam enormiter a veritate Calvinus exorbitet, ex Scripturis et traditione fit plane compertum. Scripturae siquidem, Patres atque Concilia lapsos post Baptismum, non ad ipsum ejusve memoriam, sed ad Poenitentiam remittunt.

VII.

Quid praeterea si diversos Baptismi et Poenitentiae effectus ac ministros, diversam materiam formamque consideres? dignosces illico latissimum Sacramenti hujus a Baptismo discrimen.

VIII.

Pro certo ergo inconcussoque fidei catholicae dogmate tenendum, Poenitentiam verum esse Novae Legis Sacramentum, et quidem a Baptismo distinctum.

IX.

Dogma istud Scripturis patrumque traditione firmatum turpiter mutilavere Montanistae et Novatiani effutientes graviora crimina, qualia sunt Idololatria, Homicidium, Adulterium aliaque bis affinia, per Poenitentiae Sacramentum ab Ecclesia non posse remitti.

X.

Ut immitem hujusmodi haeresim convellamus, quae Christi verbis et Ecclesiae praxi penitus adversatur, statuimus firmiterque tuemur, nullum esse crimen quamtumvis immane, quod rite dispositis ab Ecclesia virtute clavium remitti non possit: absolvendi quippe potestatem Ecclesiae concessam ad omnia iate crimina Christus extendit, nullisque sceleribus coarctavit. -- Deus distinctionem non facit qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit — (S. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 2)

XI.

Cum vero non solum relaxandi peccata, sed etiam retinendi juridicam potestatem Sacerdotes acceperint,

1112

prudenterque utrumque munus exercendum sit, hinc onera tria, divina voluntate, poenitentibus imponuntur, Contritio scilicet, Confessio et Satisfactio, quae tres poenitentiae partes dicuntur, quaeque huius Sacramenti *quasi materiam* constituunt. (Trident. sess. 14. cap. 3.)

XII.

Contritio, quae inter recensitas partes principem sibi vindicat locum, duplex est, altera perfecta, imperfecta altera quae vulgo *Attritio* vocatur. Contritionem perfectam cum Sacramenti voto conjunctam hominem Deo reconciliare priusquam Sacramentum actu suscipiatur, Scripturarum fides evincit, ac Synodus Tridentina confirmat.

XIII.

Attritionem autem ex solo gehennae poenarumque metu conceptam, culpabilem et noxiam esse utpote quae homines hypocritas faciat magisque peccatores, ausus est Lutherus asserere: at omnino perperam inscite que: praefatam quippe attritionem bonam esse utilem ac supernaturalem, nos edocent sacrae utriusque Foederis paginae, quae non uno in loco timorem valde commendant inculcantque. Patres quoque ad peccatores convertendos eosque ad poenitentiam excitandos suppliciorum timorem adhibebant.

XIV.

At quamvis attritio isthaec bona sit ac laudabilis, Dei donum, sanctique spiritus impulsus, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, nihilosecius ad justificationem assequendam extra poenitentiae Sacramentum impar est ac plane insufficiens: sine Sacramento enim nonnisi per contritionem caritate perfectam homo se convertit ad Deum, a quo se per lethale crimen avertit.

XV.

Altera Sacramenti poenitentiae pars est sacramentalis peccatorum Confessio. Hanc Lutherus summopere commendavit (in lib. de captiv. Babylon.); at, sibi parum constans, in assertione omni articuli inter damnatos a Leone X, illam appellavit *cruentissimam animarum carnificinam*, aliisque in locis haud veritus est effutire, Confessionem non esse divino jure praescriptam, neque in ea omnia cordis peccata etsi mortifera sint, esse aperienda.

XVI.

Calvinus etiam (in lib. 3. Institut. cap. 4.) ex Confessione singulari quidem fructum referri concedit; contendit tamen ejus usum necessarium non esse sed liberum; neque ullum ante Innocentium III. et Lateranense Concilium adinveniri de Confessione praeceptum: hujus propterea praecepti intimationem vocat *conscientiarum laqueum, tyrannidem, rem pestilentem, multisque nominibus Ecclesiae noxiam, tormentum denique innocentiarum.* Vah!

XVII.

Ut pestifera execrandaque haec dogmata refutemus explodamusque, ac haereticorum iniqua loquentium obturamus ora, constabilimus acriterque propugnamus, Sacramentalem Confessionem omnium et singulorum mortalium criminum, quae post Baptismum commissa sunt, divinae institutionis esse et necessariam ad salutem.

XVIII.

Nobis sane, quibus divina constat hujus Sacramenti institutio (n. 3.), dearticulata peccatorum Confessio legitimum est consequens. Quomodo enim Sacerdos probe dispiciat, prudenterque videat, quibus absolutionis bene-

ficium impertiendum sit vel negandum, ni poenitens actus suos eidem candide operiat? En Confessionis praeceptum cum ipso Sacerdotis munere necessario conjunctum.

XIX.

Gravissimo momento huic, quod satis ex se solo est ad evincendum, supervacaneum remur vetustiora addere documenta, ex quibus perspicuum fit, fuisse hanc perpetuam Ecclesiae fidem, non posse Christianos homines salutem consequi, ni peccata, iu quae post Baptisma prolapsi sunt, Sacerdoti confiteantur.

XX.

Contritio et Confessio, de quibus hactenus, essentiam Sacramenti poenitentiae, Satisfactio ejusdem integritatem constituit. Hoic cum Novatoribus iterum conserendae sunt manus: ipsi enim satisfactionis necessitatem plane rejiciunt ut superfluam, quia Deus, inquiunt, remittendo culpam remittit et omnem poenam, ita ut culpa remissa, nulla supersit poena luende, nulloque e Sacerdote sit imponende confessis.

XXI.

Ast immane falluntur, ex Sacris namque Scripturis, ex Patribus atque Conciliis edocemur, non totam simul poenam cum culpa semper a Deo remitti, sed plerumque, aeterna poena virtute clavium sublata, aliquam temporalem poenam superesse luendam. Quod quidem aperte constat ex notissimis exemplis Adae, Mosis et Davidis, a quibus, licet Deus culpam dimiserit, gravissime tamen temporalis poena luenda fuit.

XXII.

Posse autem, imo debere Sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate cri-

minum poenitentumque facultate, *salutares et convenientes satisfactiones injungere*, quas scilicet apte conveniant ad novae vitae custodiam, atque ad peccatorum castigationem, aperta tradit Tridentinum Concilium (sess. 14. cap. 8.)

XXIII.

Non est tamen necesse ad substantialem integritatem Sacramenti, ut injuncta satisfactio ante absolutionem compleatur, ut Petrus de Osma, Quesnellus aliique nonnulli falso contendunt; sed perinde est sive antecedat, sive sequatur. Ecclesia sane tum Graeca, tum Latina ratam semper habuit absolutionem ante peractam satisfactionem impertitam.

XXIV.

Hujus porro Sacramentalis absolutionis Ministri soli sunt Sacerdotes. Ea enim Christi verba (Ioan. 20.) *quorum remiseritis peccata* etc. ad solos Apostolos eorumque in sacerdotio successores pertinere, ideoque eos tantum praeditos esse facultate remittendi et retinendi peccata, praeter aperta Scripturarum testimonia, perpetua Ecclesiae praxis et unanimis patrum consensus ostendunt luculentissime.

XXV.

Merito hinc Tridentina Synodus (cit. sess. cap. 6.) declaravit falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter Episcopos et Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt; at can. 10. anathemate perculit Waldenses, Wicleffitas aliosque qui potestatem absolvendi tribuebant laicis sancte viventibus, denegabant vero Sacerdotibus improbis.

XXVI.

Lutheri quoque sententia fuit, *nihil referre an is, qui remissionem peccatorum Dei nomine annuntiat, Sa-*

cerdos sit, an publicus Ecclesiae minister, an quilibet Christianus. Legitimum consequens, si id unum minister praestat, ut Dei nomine peccatorum remissionem annuntiet. Ast Sacerdos absolutionis verba pronuncians, non nudum praestat ministerium pronunciandi declarandique peccata esse confitenti remissa, sed actum judicialem exercet, quo vere et proprio poenitentem absolvit, ejusque peccata coram Deo dimittit.

XXVII.

Ut autem valida sit absolutio, in ministro praeter ordinis potestatem requiritur et jurisdictio. Potestas enim ordinis efficit quidem ut Sacerdos judicium animarum in poenitentiae foro exercere queat; sed frustra id exerceret nisi haberet subditos, in quos suam explicet potestatem feratque sententiam, quae tantum valet prolata in eos, qui sunt judicis jurisdictioni subjecti.

XXVIII.

Ex quo liquido fluit, Episcopis jus competere reservandi sibi atrociora quaedam et graviora crimina, a quibus inferiores Presbyteri, etsi ad sacramentales confessiones audiendas approbati, absolvere nequeant. Episcopus enim ut jurisdictionem confert, ita eamdem latioribus explicare vel angustioribus coarctare limitibus suo arbitratu potest.

XXIX.

Unde intelligitur, quare Sacerdos non possit ferre sententiam in certos homines, ac judicare de quibusdam criminibus, quorum sibi judicium reservavit Episcopus. Excipiendus tamen est mortis articulus, in quo Sacerdos quilibet, deficiente confessario approbato, etiam a reservatis absolvere valet: Ecclesia quippe in tali casu reservationem quamlibet adimit.

DE ORDINIS SACRAMENTO

I.

Christus Dominus Ecclesiam, *quam acquisivit sanguine suo*, coelestibus donis ditavit, inter quae principem tenent locum Sacramenta, ac praecipue juge sacrificium eucharisticum, quod sibi offerri praecepit. Haec porro vix firma et integra diu constarent, nisi peculiaris haberetur hominum ordo, qui eadem sancte conficerent, dispensarent fideliter, ac religione tota perpetuo custodirent.

II.

Hujusmodi Mysteriorum Dei custodes, ministros ac fideles dispensatores solos Clericos esse, non vero omnes Christi-fideles, pluribus in locis oracula sacra testantur, quae Clericos a laicis divino jure secernunt.

III.

Novatoribus, qui uni verbo Dei scripto insistendum volunt, nihil dogmate hoc exploratius esse oporteret: at versipelles isti verbum scriptum in iis tantum, quae ipsis placent, pro regula assumentes toti in eo sunt ut distinctionem illam *Clericos* inter et *laicos* diris devoveant. Cum enim, inquiunt, *Cleros* graece, latine sortem significet; omnes autem Christiani *in sortem Domini vocati sint*, consequens est ut omnes sint *Clerici*. Quassatos nos tanti argumenti pondere Novatores una voce proclamant.

IV.

Verum legant, quaeso, inter coetera quid Deus (Numer. cap. 8) de Levitis praeceperit Mosi — separabis eos de medio filiorum Israel, ut sint mei — Levitae inter coeteros Judaeos dicuntur esse de sorte Domini, quia peculiari ratione destinati a Deo fuerunt ad sacra obeunda ministeria.

V.

Quamvis igitur *Cleri* vox generaliter aliquando significet etiam totam Ecclesiam seu populum Dei; communiter tamen et speciali modo eos designat, qui sacro quodam ritu a fidelium coetu segregati constituuntur in ecclesiastica Hierarchia, et ad Divina peragenda ex officio consecrentur et addicuntur.

VI.

Ritus iste, quo inaugurantur Ecclesiae ministri, Ordo, sive Sacra Ordinatio vocatur. Sacram hanc ordinationem inter vera Novae Legis Sacramenta recensendam esse ex sacris Litteris perspicue probamus. Ubi enim de Ordinatione commemoratio fit in Scripturis, tria illa recensentur, quae ad veri Sacramenti rationem necessaria sunt. Idipsum invictissime constat ex perpetua Ecclesiae traditione.

VII.

Traditionis hujus ineluctabile documentum dosumimus ex vetustissimis sacramentariis Ecclesiarum quarumcumque, et earum quoque, quae pervetusto schismate a nobis scissae sunt, quae omnes *Ordinem* inter Sacramenta Novae Legis apostolica traditione, constanti saeculorum memoria ad se derivatum, pari nobiscum consensione testantur.

VIII.

Quae cum ita sint, quid reliquum est nisi ut Novatorum temeritatem execremur, qui Sacram Ordinationem ex Sacramentorum albo non solum expungere, verum etiam *ex errore et prava affectione in Ecclesia veteri* (seu apostolica) *invectam, et impia hominum traditione* assertam blasphemare non sunt veriti? procaces homines!

IX.

Non levia vero jurgia in minores Ordines, more suo, congerit improbus homo Calvinus, scribens: *quaecumque de minutulis suis ordinibus balbutiunt* (Catholici) *conflata sunt ex inscitiis insulsisque mendaciis; doctrina de ordinibus Ecclesiasticis novitium est inventum, de qua nusquam alibi, quam apud ineptos Canonistas legitur.* Quis audacissimi hominis procacem dicacitatem non detestetur, non damnet, execreturque?

X.

Plures esse in Ecclesia Catholica ordines majores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur, divina fide tenendum Synodus Tridentina decrevit (sess. 23. can. 2). Quamvis vero non definierit quot sint ordines, ex vetustis tamen Patrum Conciliorumque documentis colligimus, in Ecclesia Latina ab antiquis usque temporibus septem numeratos fuisse; videlicet Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum.

XI.

De subdiaconatu, eoque magis de minoribus ordinibus, an veri Sacramenti dignitate fruantur, disputatur inter Doctores. Graves Theologi affirmant, etsi fateantur ingenua rem certam non esse: alii aeque docti et majores etiam numero negant; alii haerent, nec quid certo af-

firmandum sit norunt. Ipsemet sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. postquam auctorum rationes pro utraque parte ratuisset (de Synodo Diaec. Lib. 8. cap 9.) concludit: — dubii pariter at nos haeramus, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferimus —. Nec nos profecto definire aliquid audamus.

XII.

Aliter vero se res habet de Diaconatu. Hunc enim verum esse Sacramentum Theologi, si Durandum, Cajetanum aliosque perpancos excipias, communiter asserunt: habet enim omnia ad verum Sacramentum requisita, et partem Ecclesiasticae Hierarchiae constituit. (Trident. sess. 23. can. 6.).

XIII.

Hinc septem Diaconi, de quibus mentio fit Act. cap. 6. ab Apostolis electi, non ad profanum sed ad sacrum praecipue ministerium deputati atque sacramentali ordinatione insigniti fuerunt, ut clare patet ex his quae habentur eodem in capite, in quo facta legitur talis ordinatio.

XIV.

Fide autem certum est, Presbyteratum esse verum propriumque Evangelicae legis Sacramentum. Assertum istud nullus unquam Catholicus in dubium revocavit, imo nec ullus haereticus: haeretici quippe aut inficiantur sacram Ordinationem Sacramenti dignitate gaudere, aut si illam Sacramentum esse fatentur, eam in Sacerdotio adinveniri concedunt: in ipso enim praecipua traditur pars Sacrae Ordinationis.

XV.

Controversia viget de Episcopatu, num verum sit Sacramentum a Presbyteratu distinctum. Id veteres ple-

rique theologi negarunt, censentes Episcopatum esse quamdam tantum Characteris Sacerdotalis extensionem ad novum officium ampliorem que potestatem: verum cum omnia, quae ad Sacramentum constituendum requiruntur, in Episcopatum concurrant, dubitari non posse videtur quin episcopalis ordinatio nedum sit verum Sacramentum, sed nova etiam consecratione a Presbyteratu distinguatur.

XVI.

Aerius quarto Ecclesiae saeculo Presbyter invidia ac dolore percitus, *quod Episcopus ordinari non potuit*, prout refert S. Augustinus (lib. de Haeres. cap. 53), *dogma supra hominis captum furiosum*, ut illud vocat S. Epiphanius (Haeres. 75. cap. 3.), excogitavit asserens, nullum Episcopos inter Presbyterosque versari discrimen; utrosque ordine ac dignitate pares esse, ac consequenter utrisque ordinandi munus ex aequo competere. Errorem hunc ut profligemus, quem posteriores alii adoptarunt haeretici, propugnandum assumimus:

XVII.

1.° Episcopos tum ordinis, tum jurisdictionis potestate simplicibus Presbyteris praeeminere, et quidem jure divino. Episcopi enim, ut Patres omnes testantur, legitimi sunt successores Apostolorum, quos ex Scriptura novimus a Christo caeteris discipulis suis fuisse praelatos.

XVIII.

2.° Solos Episcopos ordinarios esse Sacramenti ordinis ministros. Quam quidem veritatem luculenter evincunt Ecclesiae praxis et perpetua sanctorum Patrum traditio, et invicta comprobant divinae Scripturae, quae ubique solos Apostolos, quibus successerunt Episcopi, sacrae ordinationis ministros nobis exhibent. Hinc sim-

plex Presbyter ne ex commissione quidem Papae potest valide conferre Episcopatum, aut Presbyteratum, et etiam probabilius nec Diaconatum.

XIX.

Cum plura tamen extent exempla, ex quibus liquet subdiaconatum ordinesque minores collatos aliquando fuisse a simplici Sacerdote; merito proinde statuitur, ipsum esse posse eorumdam ordinum ministrum extraordinarium, ex delegatione scilicet Romani Pontificis.

XX.

Quoniam vero ordinis potestatem non amittit Episcopus nec sacrum characterem, qui nullo quantumvis nefario scelere deleri potest aut auferri; hinc tuto colligere est, ordinationes collatas ab Episcopis haereticis schismaticis, aut quovis crimine pollutis, dummodo cum necessaria intentione materiam adhibeant formamque legitimam, illicitas quidem ac sacrilegas esse, non tamen irritas et inanes.

XXI.

Invalidas tamen nullasque reputamus ordinationes ab Anglicanis Praesulibus juxta formam Ritualis Eduardi VI. peractas; non quia ab Episcopis haereticis et schismaticis conferuntur, bene vero tum ob defectum successionis Episcoporum, tum ob vitiatam essentialiter formam. Id quidem nullo adhuc canone vel publico judicio ab Ecclesia definitum fuit, verum tamen esse satis ostendit constans praxis Ecclesiae Romanae, quae Ritu Eduardi VI. ordinatos ad se redeuntes iterum jubet ordinari. Quod sane praestaret nonquam, ni eas ordinationes nullas invalidasque censeret.

XXII.

Ut autem tum valide tum licite ordinatio conferatur, quaedam requiruntur. In primis ut valeat Ordo, necesse est ut Ordinandus sit masculus. Equidem posse etiam mulieres Sacerdotio fungi, mulierosum Lutherum dicere non puduit. Eadem fuit Montanistarum, Collyridianorum, aliorumque ejusdem furfuris sententia. Nec mirum: haeretici enim, inquit S. Hieronymus, foeminarum cultores perpetuo fuerunt.

XXIII.

Verum hos et Scriptura sacra, et Patrum traditio improbat. Apostolus enim praecipit ut mulieres in Ecclesia taceant (1.ª Corinth. cap. 14.), nec iis docere permittit, neque dominari in virum (1.ª Timoth. cap. 2.). Ecclesia vero semper execrata est Marcosianos, Montanistas, haereticosque caeteros, qui sacros ordines foeminis conferre sunt ausi.

XXIV.

Ad valorem igitur Ordinationis requiritur ut ordinandus sit masculus, et quidem Baptismate tinctus: Baptisma quippe janua est Sacramentorum, quo deficiente, Sacramenta caetera sunt irrita. In adultis vero requiritur insuper internus consensus, ita ut nulla ac irrita a Romanis Pontificibus declarata sit ordinatio obluctanti et penitus invito collata.

XXV.

Pauca nunc pro coronide dicenda supersunt de Clericorum continentia, quam Ecclesia sacris ordinibus inviolabili lege conjunxit. Hancce praecellentem virtutem, quae genus nostrum Angelicis naturis aequat, et praecipuum Ecclesiastici ordinis decus efformat, Lutherani, Calvinistae, Novatoresque caeteri exterminandam

toto orbe voluerunt, *libidinosam Ecclesiam*, non *Virginem castam* dare Christo gloriae sibi tribuentes. Vix sano dici potest quo quantoque furore continentiae legem insectati fuerint velut iniquam, tyrannicam, verbo Dei, ipsique hominis naturae contrariam. *Unde tanta carnis rebellio in his qui se jactant agi spiritu Christi?*

XXVI.

His sacrilego se foedere jungunt caenosi homines, quorum ubique ingens est numerus; et suppetias ferunt pseudo-politici ac libertini, qui argumentis undique corrogatis in aciem prodeunt, eoque conatus suos toto pectore dirigunt, ut sacri caelibatus legem de medio tollant.

XXVII.

Verum garriant quantumvis et oblatrent hujusmodi cardones miseri, qui tota die *subantes in mulieres*, ut Tertulliani verbis utamur, ignominiam suam, prodere non erubescunt; nos aequissimam plane sanctissimamque censemus ac optimis rationibus innixam perpetuae continentiae legem sacris Ecclesiae ministris impositam. Eo enim fit ut ministri, a domesticis curis expediti, puriores se servent, in sacris sint ferventiores paratioresque ad Sacramenta majori assiduitate administranda.

Publica de his habebitur disceptatio in Bononiensi SS. Annuntiationis Templo die 26 maji hora a mer. 4 1/2.

Cathedram moderabuntur

PP. FF. Constantinus Perfumo ab Arce-Grimalda

et

Modestus Gallo a Carmaniola
Sacrae Facultatis Lect. Gen.

Cuilibet doct. vel prof. a tertio arguendi jus esto.

IMPRIMATUR

Fr. Sebastianus Pallavicino Vic. Gen. S. O.

IMPRIMATUR

Can. Casoni Canc. Eccl.

Bologna. Tipografia Sassi nelle Spaderie.